DE OFFICIO, AC DIGNITATE IVRISCONSVLTI.

PRÆFATIO

AMBROSII LVTII I.V.C.

Patricij Senensis.

Habita in Senensi Gymnasio. V: Id: Decemb: cum inciperet Ordinario (vt dicitur) more iura interpetrari; quod decem annorum spacio publice docendo, & ex edicto consecutus est Nonis Decemb.

A SERENISS: COSMO MED: Magn: D: E: IV:

SVPERIORVM PERMISSV.

SENIS, Ex Typographia Matthæi Florimi. 1609.

ILLVSTRISSIMO DOM. NICHOLAO MONALDENSI

ABBATI REVERENDISSIMO DOM. SVO COLENDISS.

ESINE mirari (Illustriss. Abbas) nomen tuum his literis à Typographo; neq; enim Præfatio hæc (exigua sanè res) tibi dicatur; Sed qui eam edi voluit, authoritatem tuam me simul implorare iussit, qua, si hoc suum factum olim detegatur, possit Domini Ambrosij amorem sibi reconciliare; Amicus quippe amico ingenij fructum surripuit: amico surripuit animo: Excusatio per se tutissima: Addit rationem, Amicum ad grauiora vrgere cupit, dum ægrè ferat, spacio decem annorum, quo iura publice profitetur vnam dumtaxat interpretationum Præfationem circumferri. nam ille suus de Iudicijs, vel potius variarum conclusionum libellus, illi suæ disputationi, per triduum à se habitæ accomodatus, priuatorum la-

borum est, at nunc publicorum aliquod specimen desideraretur. Hæc editionis caussa: hæc huius epistolæ ratio: Qui me scribere voluit, egregiam istam tuam humanitatem, & suauissimam facilitatem morum expertus est; Ego verò scio, te cum multis, maximisq; nominibus clarum, tum præcipua quadam animi magnitudine, ac benignitate in ore, in oculis, in admiratione omnium versari. Meritò rem tibi exposuisse satis: à te beneficium petijsse plus satis. Vale. Senis. Idib. Decemb. M. DC. IX.

Illustrissime Dominationi tuæ

Addictissimus

Matthæus Florimus Typographus.

VOD à sapientissimis viris dictum est, hanc, ad quam nascimur, societatem esse publicum dandi reddendiq; beneficia cõmercium nihil tam iustum, aut naturale videri significat, quàm gratiam ijs referre, qui beneficia contulerunt. Quoniam verò hæc sępius ab ijs, qui plus possunt, quàm egeant, ad eos, qui contrà plus egent quàm possint, proficiscantur, vsu venire sæpissimè videmus, vt habeantur potius gratiæ, quàm referantur; Igitur in tanta frequentissimi negocij difficultatę quid beatius viro grato contingat, quàm id generis beneficia accipere, quæ si rectè, & ita vt dantur accepta fuerint, hoc ipso reddita videantur? Eiusdem sunt (nisi spe, ac desiderio gratiarum agendarum fallor) quæ mihi videor percepisse in ac legalis Philosophiæ interpretandę commoditate; Vnicum licet plurium partium beneficium appellabo, quo ad ius profitendum inter ordinarios promoueor; cuius causa me plurimum pluribus debere tùm sæpius antea dixi, tùm ex hoc eminentiore loco solemni testatione profiteor; Debeo enim Deo Opt. Max. Deiparæ Virgini, & Cœlitibus vniuersis: debeo Vobis omnibus Aud. Vobis patroni, amici, præceptores: Vobis etiam Iuuenes eruditi, nobiles, Illustrissimi (vna oratione omnes Auditores meos complector) A vobis omnibus studia mea, & vitam sumpserunt, & alimenta: Vos mihi animos addere, vires augere, ingenium excitare voluistis: Sed maximam beneficij partem iure sibi vendicat Parens, qui tùm honestissimo totius vitæ suæ exemplo incitauit, tùm optimis me amicis suis, ac mea studia, qualiaillacunq; fuerint, commendauit. Deniq; Perillustribus, atq; Excellentissimis Viris debeo, iuris clauum in ac Vrbe regentibus, qui totius beneficij confusam quasi materiam nouo, à se auctam beneficio, præbuerunt Serenis. Domino nostro Magno Hetruriæ Duci, & maximo Italiæ, ac totius Orbis Christiani præsidio, ac firmamento; Cui

præ-

præterea quid non debeam, qui beneficium ita informe, obscurum quasi caos, gratiarum suarum splendore illuminare, & informare dignatus est? Debeo itaq; plurimis plurimùm & nihil optatius, ne votis quidem conceptis, sperabo, quàm singulis gratias, & nosse pro dignitate habere, & posse ꝓ magnitudine beneficij referre; Verùm enim verò quæ plenior gratiarum actio in hoc beneficij genere desideratur, quàm vt a me rectè quod datum est, & quomódo datum est suscipiatur? vt nempè docendo, ac profitendo laudatissimam Iurisprudentiam excolere, sustinere, & quantùm in me est totis viribus propagare contendam? Quamobrem si beneficium complexus fuero, omnemq; operam meam consumpsero, vt mihi, & cunctis Iuris Ciuilis studiosis prodesse laborem, illud profectò consequar, ne collatum in me beneficium perditum videatur; at, si perditum non fuerit, redditum videri necesse est: Illa etenim dumtaxat beneficia non perduntur, quæ reddi videntur: O egregium beneficij genus, cuius sola collatio remunerationem parit, quod cum suscipitur redditur, quod ipso illum iure gratum reddit, qui rectè susceperit; Meritò in hoc munere vestrę vtilitati, & commodo, prętantissimi Iuuenes, totum me vobis exhibeo; Et quoniam partim re, partim verbis, hoc est lectione, & exhortatione constare videtur; hodiernus autem dies, quo tot, tantiq; Viri concionem nostram sua pręsentia illustrare, & me nouis beneficijs afficere voluerunt, dicendi potius, quàm docendi partes exposcit, idcircò in exhortatione addiscendum docendi fundamenta collocabo.

In promptu est certissimum hortationis argumentum, commendatio Iurisprudentiæ. Sed quilibet vestrum huius præstantissimæ disciplinæ decus eminentiore quadam forma concepit, quàm orationis meæ coloribus, vel adumbrari valeat; nullo tamen grauiore argumento hæc generosa Iuuentus ad illius amorem se inflammari pateretur. Quo me igitur vertam Aud. quod mihi dicendi chrinomenon re-

lin-

linquatur? Sed video nouam exhortandi rationem: Ad nouum dicendi genus nouo consilio progredior; Quæ etenim sese mihi poterat offerri opportunior occasio, quam præsentia vestra Electissimi Aud. vt rem multi maximiq; momenti, quam diu cogitatione reuoluo, palàm, vbi opus esset, proferrem? Imminet enim non dicam literariæ tantùm reipublicæ, sed propè ipsi Ciuitati periculum: Propagatur fraus, quæ totius Vrbis perniciem minatur: Vobis ipsis I. C. quotquot adestis, & prudentissimo Senatui vestro; vobis deniq; omnibus, qui iura Ciuium aut colitis, aut fouetis, insidiæ parantur: Casum vestrum Ciuitatis interitus sequatur necesse est: Equidem rem totam breuiter exponam, quæq; propugnacula in promptu videbuntur esse demonstrabo; vestra agitur caussa. Vestræ igitur erit humanitatis attendere; prudentiæ consulere. Sunt in hac Vrbe docti quidam, & acutissimi Viri nominis, ordinisq; nostri hostes acerrimi: Hi veterum Iurisprudentum laudes, quas se nunquam obscuraturos putant, magnificis verbis exornant, vel quòd hac ratione dolum se facilius nectere posse opinantur, vel quòd virtus, & veritas etiam ab inuidis, atq; hostibus aliquod extorquent elogium: Deinde ad recentiores I. C. paulatim oratione labuntur; hìc subsistunt, & quadam obducta nube ex vaporibus forte illorum, qui parum felicitèr in Iure versati sunt, legalis Philosophiæ splendorem celare, & obscurare nituntur: Adolescentibus qui, quòd primum adhuc sapientiæ tyrocinium agunt, facilè primas sententias animo imbibunt, ac seruant, vt recens testa, quo semel est imbuta, diu seruat odorem. I. C. nostris temporibus florentes, non eandem Iurisprudentiam, non auctoritatem, non dignitatem retinuisse, qua veteres illi in oculis & admiratione omnium versantur, affirmant: quippe qui celeberrimam, & nunquam intermorituram laudem compararunt. Hoc dolo efficiunt, vt Iuuenes, etsi maiorum suorum authoritate compulsi, suam Iurisprudentiæ operam nauent; optabili

tamen

tamen honoris ardore non inflammentur; Quocirca neq; ad illud claritatis fastigium conspirant, in quo veteres positos fuisse acceperunt, neque quò illos animi ingenijq; extolleret altitudo, feruntur. Quare, si Ciuitatis anima lex est; legis verò nullum esse auxilium intelligimus, nisi probi, doctiq; viri eam cœteris ciuibus dicant, quis non intelligit Ciuitatem ipsam illos destruere; efflareq; animam iubere, qui & ipsi ab honestissimo legum studio abhorrent, &, quod perniciosius est, ab eo auocatos adolescentium animos ad mitiora studia, honesta quidem, sed minus reipublicæ necessaria traducunt.

Narraui Aud. perniciosissimam fraudem, quàm callida suauitate contextam intelligitis. Equidem admiror egregiam istorum placabilitatem: Iurisprudentiam miserentur humi lapsam, nec subleuant: Queruntur à sapientibus viris derelictam, nec tuentur: Collacrimant labefactatam, & obscuratam, nec illustrant. Fatentur deniq; reip. necessariam, nec suscipiunt, sed aduersantur, obscurant, deprimunt, opprimunt. Propugnaculum igitur ad muniendam arcem nostram, ad aduersariorum aciem profligandam, ad reuocandos transfugas, ad socios confirmandos, ad excitandos milites nostros opportunum est quàm citissimè docere. Recentiores itaq; I. C. veteribus illis non modò non munere, neq; doctorina inferiores, sed etiam authoritate atq; honore superiores esse confirmo: Intereà efficiet oratio mea, vt persona, quam nostri Iurisprudentiæ studiosi induere cupiunt vna cum OFFICIO AC DIGNITATE IVRISCONSVLTI tanquam è speculo ijs obuersetur, ac deniq; signum, & scopum ante illorum oculos constituam, quò laborum arcu sua studiorum tela feliciter dirigere valeant.

Eorum, qui Iuriciuili præerant tria præcipuè munera animaduerto, vnum iure cauere, alterum leges, & facta interpretari, tertium nouas Iuris consuetudines incipere: Omisi vulgare illud de iure aperto rispondendi munus; non enim

legu-

leguleis modò,& pragmaticis commune, ac translaticium est; sed laboris, & memoriæ habet plurimùm, ingenij verò, aut prudentiæ nihil. Primò itaq; veteres iure cauebant, consilijs, & cautionibus, quibus interdùm aliquid, quod antea cognitum non erat, induxisse dicuntur; Sed quasdam habebant formulas tanta calliditate syllabis, notis, interpunctionibus occupatas, vt nemini rem vllam iure agere liceret, cui non interesset modò, sed etiam præesset versutus quispiam iuris illius magister: Hinc apud Ciceronem Antonius affectatam dicendi occasionem arripuit, eos per se nihil nisi leguleios esse cautos, & acutos, præcones actionum, aucupes syllabarum; quæ sanè quantum de veterum dignitate comminuunt, tantumdem ad nostrorum amplificandam laudem pertinent, qui, reiectis hisce callidis, aut inanibus nugis, cuncta prudentèr, grauitèr, & magnifice tractant. Quamobrem quis poterit eos, qui singulorum negocia tot difficultatibus implicauerant venerari, & nostros, qui apertè, planè, dilucideq; actiones instituunt, resq; nostras componunt, paruifaciendos existimare? Aut vulgarium, aut deprauatorum hominum est; alienos quosq; viros commendare, atq; extollere, suos probris afficere, & sermone deprimere. Illud hac in re nostris esse, cum veteribus commune videtur, quòd consilio iuuare, & hoc cognitionis genere prodesse quàm plurimis, vt apud Cic. Crassus affirmat, tùm ad opes, tùm ad gratiam augendam plurimùm semper valuisse perspectum est; nam qui, legum peritia præditi, & vsu magnarum rerum instructi, lumen ingenij sui liberaliter suis Ciuibus impertiuntur, nunquam satis pro dignitate honoribus, ac præmijs afficerentur. Quid est, inquit Cic. præclarius, quàm honoribus perfunctum senem posse suo iure dicere id, quod apud Ennium dicebat ille Pythius Apollo, se esse eum, vnde, si non populi, & reges, at certè vniuersi sui ciues, vt ab Oraculo, consilium expetunt? Intelligebatis Enni, ac Cicero, viri sapientissimi, populos omnes, om-

B nesq;

nesq; reges aliquo ciuili iure gubernari, eiusq; vsum à viris illius iuris peritis edoceri: Quod si à regibus inde petì consilia videmini denegare, id non de Iurisconsulti persona, quam & populorum, & regum, & totius orbis terræ oraculum dixissetis; sed de eiusdem Musæo, ac domo dixistis, q̃ sæpius à dire videtur fortasse regiam maiestatem dedecere.

Alterum succedebat veterum munus iura Ciuitatis, aut facta ciuium interpretari; Nunc verò quis est adeò litium expers, & rerum omnium ignarus, quem lateat, quæstiones penè omnes, quibus hodiè fora replentur, non apertis legibus, sed aut legum similium ratione, aut verborum proprietate, aut voluntatis coniectura, aut æquitatis disceptatione contineri? Quis igitur in hoc munere vllam inter nostros ac veteres dissimilitudinem audeat constituere?

Ad postremum venio cœterorum longè præstantissimum Iurisprudentiæ munus, vt, qua de re neq; à legibus, neq; à priuatis cautum esset, ipsi quod æquum bonumq; videretur suis responsis decernerent. Hæc est illa Iurisprudentiæ forma, quam veteres æqui boniq; artem esse dixerunt: hoc ius est, quod non in tabulis incisum, non longo vsu formatum, sed in recta I. Cons. ratione positum, atq; ita positum est, vt certam iuris, & iniuriæ regulam, æqualitatis mensuram, iustitiæ libram teneat, exhibeat, doceat: Hæc illa vera est, & non fucata Philosophia, quam I. C. complexi sunt; & quidem complexi, non tàm vt legibus conditis lites dirimerent, quàm vt legum condendarum, aut excogitarent principia, aut rationibus vterentur, quæ non multiplici opinione iactantur, vt certa Iuris scientia haberi non possit; Sed ipsa natura constant firmæ æternæq; in bono, & æquo locatæ. Si verò Aud. quisquam est, qui dubitet, an hæc admirabilis Iurisprudentiæ pars ad nostros fuerit I. C. transmissa; Ego sanè non dubito, quin etiam fidei posterorum omnium fuerit cum Orbis terrarum æternitate commissa. Tam multæ, tàm variæ sunt singularum ætatum conditiones, singu-

lorum

rum actiones hominum, vt nulla perpetua lege componi, nulla legislatorum prudentia prouideri, nulla temporum diuturnitate decerni patiantur. Leges vtilitati seruiunt; vtilitas moribus; mores temporibus; tempora vicissitudinibus, vicissitudines rerum fermè omnium fato (hoc est, incommutabili diuinæ voluntatis dispositioni) quod in ipsa inconstantia constans, firmum, stabileq; censendum est. Quamobrem si res, si tempora, si mores, si vtilitates mutantur, ecquis dubitet leges adhuc nouas, noua edicta, noua responsa ex ipsis esse iustitiæ fontibus haurienda? Vestra admurmuratio, humaniss. Aud. commonet me nonnullorum, qui orationi meæ aduersari videntur; quippe qui probè nouerunt, solum hodiè Imperatorem (quo nomine singulos in sua ditione principes complector) legum esse interpretem, conditorem, oraculum. cedo maiestati: do nomen legislatoris; agnosco imperium; sed ità vt nihilò magis super nostros I. C. emineat Imperator, quàm super veteres eminerent aut Populus, aut Senatus: Veteres I. C. fuerunt populo Senatui, & iudicibus authores, consiliarij, sapientes: Nostri sunt Imperatorum, Rerumpublicarum, & iudicum latera, corda, voces. Sit sanè Imperatorum pectus scrinium, armarium, arca legum; est tamen I. C. noster pectus, mens, animus legem dantis Imperatoris. Quocircà nostrum, Iurisprudentis nempe, certum, ac princeps munus est, non ex veterum fragmentis dumtaxat iura docere; sed ab ipsis iustitiæ princpijs leges repetere. Sentio Iurisprudentum meritis meam altius rapi orationem: sed tanti momenti rem silentio prætetire nefas existimo. Sit, inquam, iustitiæ forma numen quoddam, aut diuinæ menti diuinitus hærens Idæa: Eius certè simulacrum, vnde, quasi ab oraculo, responsa petuntur in I. C. capite, in augustissima veluti ara, mortales venerantur: Colatur quidem iustitia Ethnicis inter Deas: erunt I. C. custodes, Sacerdotes, interpretes; Sed quam Deam appello? quæ nusquam est; aut, si vsquam est, vna sola est. I. C. verò (au-

deo dicere) tot veluti Dij censendi sint; Ii sunt enim, qui Dei Opt. Max. non maiestatem ęmulantes, sed officio quasi fungentes,& pœnas, & prǣmia proponendo cœteros homines regunt, & sua cuncta prudentia dirigunt, tuentur, moderantur.

Quod si nefas est humanam vltrà conditionem hominib. honores dicare, profectò qui summi solent in terris decerni I. C: debentur; principes igitur populorum dicantur, reges gentium, Orbis terræ rectores; Etenim, si naturæ lege, qui cœteris præstant, cœteris quoq; dominantur,& imperant;si liberi homines imperio subijci passi sunt, vt essent qui, ius suum vnicuiq; tribuentes, Iuris ęqualitatem seruarent, cur egregijs illis nominibus I. C. non appellemus, qui tùm gentium,tùm naturę præscripto reges esse merentur, quibus regiam iuris reddendi scientiam, & potestatem natura, Ciuitas, doctrina dederunt? Et quis adeò parùm inter antiquarum rerum monumenta versatus est, qui nesciat,reges ipsos antiquitus iudicasse? Et eos,qui Hebræorum populo summo cum imperio præerant,diu non reges fuisse, sed iudices appellatos? Vt intelligamus nihil tàm regium esse, quam iudicare.

Dixi, sed non quęcumq; poteram ad significanda veterũ Iurisprudentum officia: Demonstraui eadem omnia nos suscipere oportere: An maiore cum laude suscipiamus ambigitur adhuc? Veteres ante lucem priuata in domo docebant; nostris publica gymnasia Imperatores per quàm honorificè, splendideq; aperuerunt: Illi in consilium quandoq; à iudicibus vocabantur; nostris vniuersa iudicia, prima subsellia decernuntur: illis interdũ Principes ad remp. suam administrandam vtebantur; nostris omnes rerump. partes, vniuersa gubernacula concreduntur; vt hinc apertissimè conijcere liceat, quantum Iuris ciuilis cognitione,& vsu mens illustretur, ratiocinatio dirigatur, sapientia informetur, & rerum omnium dominatrix prudentia comparetur. In manu ve-

nu veterum omnis fortuna,& vita positæ videbantur; in potestate nostrorum immortalis animi quoq; salus æterna reponitur: Illorum finis erat humana felicitas; nostri beatitatem nunquam perituram cura doctrinaq; meditantur: deniq; veteres Iurisprudentiæ meritis ad Quæsturam, ad Consulatum, ad Patriciatum euehebantur, nostri verò ad amplissimos honores, ad summa dignitatum culmina, ad altissimũ quasi diuinitatis fastigium extolluntur; sed in singulis immorari in hac temporis angustia non licet, in hoc ad stantiũ splendore non decet. Habetis igitur optimi Iuuenes artem à multis illustratam clarissimis viris, veteribus & ingenij acumine, & iudicij soliditate, & scribendi ordine, & loquendi candore, & omni deniq; eruditionis commendatione vndiq; comparandis. Habetis disciplinam rerum humanarum diuinarumq; reginam, virtutum compendium, iustitiam loquentem, mundi conseruatricem, æternæ beatitudinis ducem, scientiam scientiarum, omnium architectonicam; ingenio, eruditione, nobilitate vestra dignissimam. Vos igitur generosa,& omni laude meritissima Germanorum natio, qui peregrinatione vestra hanc antiquissimam Hætruriæ Sedem tàm frequentèr ornatis, si patriæ doctrinæ splendorem adamatis, fouete, ac defendite hanc propè dixerim vestram Iurisprudentiam, qui illam tùm explicationum neruis, & ordinis forma resuscitastis, tùm elocutionis colore, & eruditionis gemmis illustrastis. Vos cæteri Nobilissimi Aduenæ, qui tanta alacritate à patria seiungi à laribus extrahi, à parentum, cognatorum, amicorumq; complexibus diuelli potuistis, Iurisprudentiæ caussam suscipite, & ingenij vestri armis communem arcem tueamini; quippe qui singuli singulos patrios Iuris Cons. habetis: Enumerarem Doctorum exercitum, qui sub vexillo præstantissimi Ducis Andreæ Alciati legalem militiam non minus doctè, quàm erudite exercuerunt; sed nomina reticebo, ne sim aut longior quàm pro-

polueram, aut ieiunior, quàm Italorum dignitas postularet: Vestros eadem ratione, ò Ciues Senenses, eodem silentio inuoluo Præpositos, Petruccios, Sozzinos, Politos, Lucios, Doccios, Bardos, Bulgarinos, Beringuccios, Beneuolentos, Bargaglios, Spannocchios, Turaminos, & alios, quos æque veneror multos; O bone Deus, quæ lumina, quæ ornamenta Senensis Vrbis, Hætruriç, Italiæ deniq; vniuersæ. Persuasum, opinor, iam est, Iuuenes, veram virtutem, æternamq; laudem in vera Iurisprudentia sitam esse: neq; eam sub eruditioribus uiris esse neglectam: Vos, vos ergò Institiæ hac in re patroni esse velitis, vt eiusdem clientes esse possitis; ad pristinum illam decus, atq; splendorem reuocate, vt eius fulgoribus illustrari valeatis. An quod humanioribus disciplinis exculti, multis literis eruditi, in Magnis Academijs nobilitati estis, ideircò Iurisprudentiam destituitis? Sed quid deinde? quid futurum censetis? An priscam illam cognitionem, quam mortuam deploratis, suis per se ipsam viribus redituram ad lucem? At verius illa ipsa, quæ iam reuixit, nunc vestra culpa ad tenebras euoluetur, si modo tenebræ, & non sepulcra dicenda sunt, vbi quam necatis Iurisprudentiam, sepeliri necesse est. Ciues Senenses, Romano genere oriundi, optimos Ciuium, vt Romani, iuris sui custodes constituendos censuerunt; Vos autem legum interpretatione, & fortunarum capitumq; omnium potestate vt se probi viri, & eruditi abdicent, par esse censetis? Equidem indicaui, & aperui fraudes: opportuna remedia commonstraui: imminentem pestem effugite: reijcite ergò aduersariorum figmenta, & si laudem, & summam vtilitatem vestram, si parentum, seniorumq; gratiam; si familiæ splendorem, si Ciuitatis incolumitatem, & gloriam, si Maximi Optimiq; Principis, si deniq; omnium gentium voluntatem, atq; amorem amatis, studia, & lucubrationes vestras vni Iurisprudentiæ

dedi-

dedicate. Vos verò Aud. omnes vno verbo literariæ reſp. noſtræ Ciues àppello, pergite, & inceptum iter ſumma cum alacritate percurrite: viam ad nominis immortalitatem maximè expeditam, vel ommiſſam repetite, vel amplexatam ad extremum vſq; ne vos pigeat retinere. Neq; enim dubitare fas eſt, quin præclaris initijs veſtris exitus ſit longè præclariſſimus diuino beneficio concedendus. Dixi.